

Coniectanea.

I Culex qui fertur Vergili ex iis est carminibus quae iterum iterumque alliciant philologi animum. quotquot aenigmata solverunt Buecheleri sagacissima divinatio Leonisque egregia ratio, sat multa restant. nec multum auxilii a codicibus novis sperare poterimus, licet Corsinianus Ellisii tribus locis (v. 192, 357, 366 dico) turbatum verborum ordinem et inde natam in antiquioribus exemplis interpolationem splendide inlustraverit. age temptemus num hic illic ex ingenio corruptis vel non intellectis medelam vel ius suum promere valeamus. neque enim desunt loci ubi ipse Leo id quod bene probeque traditum est leni quidem manu attamen non recte mutavit. velut v. 192 legimus de pastore vitam contra draconem defendente:

*et validum dextra detraxit ab arbore truncum.
qui casus sociarit opem numenve deorum
prodere sit dubium, valuit sed vincere talis
horrida squamosi volventia membra draconis.*

ut taceam de Ribbeckio, qui veterem Schraderi coniecturam quam resuscitavit, non recte Leonem cum Scaligero pro tradito qui scripsisse cui comprobant hi versus: Ciris 279 *nisi te nobis malus . . . ante in conspectum casusve deusve tulisset* et Stat. silv. 2, 6, 58 *quis deus aut quisnam tam tristia vulnera casus eligit?* ergo et Culicis scriptor dicere voluit: εἰπεῖν οὐκ ἂν ἔχοιμι ἦτις εὐτυχία ἢ ὄστις θεὸς ἐβοήθησεν αὐτῷ.

item contra omnes editores poetae restituendum est quod traditur v. 272: laudatur Orpheus, quod

*nec timuit Phlegethonta, furens, ardentibus undis
nec maesta oblenta Ditis ferrugine regna
nec fossasque domos ac Tartara nocte cruenta
obsita.*

iunguntur ex more, de quo nuper dixit Buecheler (mus. rhen. 54, 4), particulis *que* et *ac* inter se excipientibus *domos* ac *Tar-*

tara, ut iam ad duo illa simul pertineant additamenta *fossas* et *nocte cruenta obsita*. quod autem editores dubitavisse videntur an recte dictum sit *fossas domos*, en praesto est Aetnae locus v. 140 *cernis et in silvis spatiosa cubilia retro antraque demersas penitus fodisse latebras*; nempe *domus*, Ditis scilicet, et *Tartara* esse putabantur tales *latebrae* sive mavis cavernae, quas ipse sibi fodit Tartarus pater vel fecerunt *aestus horrifera*.

possim alia addere velut quod v. 402 legendum puto per oxymoron

laurus item Phoebi decus urgens,

nempe Daphne amore urget deum. at malo nunc quidem iudicium arbitriumque doctiorum adire de coniectura in quam incidi nisus ut perspicerem quomodo Culex sit factus Vergilianus. coniectura est, sed puto spes non datur nos his in rebus casum deumve certis iam donaturum testimoniis. itaque sapere audeamus.

nec puto quisquam iam mihi obloquetur ponenti, nobis esse traditum antiquitus, Culicem a Vergilio conscriptum cum esset annorum XXVI. nude enim positum numerum XVI in vita Donati, non addito *puer*, nihil valere contra testimonia et Lucani et Stati, et ego dixi¹ nec Leo² dissentire videtur.

quomodo haec opinio subnasci potuit? permirum enim pro usu scriptorum vitarum est illud indicium quo ad certum aetatis annum opus aliquod poetae refertur nec novi in aliis vitis nisi unum exemplum, quod tamen alius generis esse vix dici oportet, scilicet verba in vita Terenti: *post editas comoedias nondum quintum atque vicesimum egressus annum . . . egressus est neque amplius rediit*. at unum habemus testimonium de ipso Vergilio quo pari modo certo aetatis anno tribuitur editio carminis; Probus enim p. 7, 7 refert: *Asconius Pedianus dicit XXVIII annos natum Bucolica edidisse*.

quo libro Asconius tale quid dixerit nos non latet, cum clarissimus eius extet titulus, libri scilicet, *quem contra obtractores Vergili scripsit*. nec minus nos fugit quo consilio auctor sedulus et diligens de aetate poetae qua carmina conscripsisset vel edidisset certa proferre animum induxerit. demonstraturus erat sine dubio Vergilium tam adolescentem iam tanta tamque admirabilia opera condidisse. atqui unde sua hausit Asconius

¹ ad Stat. silv. 2, 7, 73.

² Culicis p. 15. cf. et Schanz, hist. litt. Rom. II, 1² p. 66.

propria aetate et tam remotus a Vergili ut e memoria sua ipsius talia narrare non posset et tam propinquus ut vix scripti ei suppetere fontes? neque — ut hoc praecidam — ullo modo veri simile est L. Varium talia $\chi\rho\nu\nu\kappa\acute{\alpha}$ de amico promulgavisse, et ex usu grammatici qualis fuit Asconius est talia ex ipsis scriptorum operibus coniectando discere et docere. ac de bucolicis res aperta est: vel ex prima ecloga sequi videbatur poema pactum esse eo tempore quo veteranis agri Gallici distribuebantur, ergo bucolica carmina duodetricesimo poetae anno dedit. de Culice quaestio erat impeditior nec tamen difficillima. poetam adloqui Augustum proclive erat conicere ex v. 1 et 25; Octavi autem nomine uti non iam poterat post Caesaris testamentum, vix multo ante, cum C. Octavius nondum prodiisset ex umbra vitae privatae: ergo Culicem Asconius in XXVI um Vergili annum rettulit.

talia postquam Asconius scripsit, non iam mirum esse puto quomodo Lucanus et secundum eum Statius et Martialis levius quam rectius Culicem esse opus Vergili sibi persuaserint nec iam in vitas Vergilianas hanc opinionem migrasse quisquam mirabitur.

ergo, inquis, vel Asconius carmen sollerter supposuit clarissimo nomini vel alius poeta qui Asconium fefellit. minime vero. Asconi fama et veritas talem suspicionem per se reicit nec — quod quidem adhuc non satis perspexisse videntur viri docti — ex ipso poemate ulla petitur ansa ad tale quid credendum. agitur imprimis de carminis versibus 37 sqq., quae verba negant facta esse posse nisi de patre patriae et divo futuro, nam illa *sanctae puer et venerande* de quovis puero nobili dici potuisse Leo (p. 23) sat superque demonstravit. minus recta idem vir doctissimus profert de verbis *et tibi certet gloria* ac moleste fero quod de v. 39 *sospes . . . vita* omnino tacet commentarius. namque in his verbis tota quaestio quasi in cardine vertitur. scribit Leo p. 35 'haec (i. v. 37—39) quoniam ad mortem pertinent, bono omine pergit, sospitis felices per annos vitae memoriam futuram Octavio augurans, vitae scilicet quae *grata bonis* luceat'. concedamus interpreti propter bonum augurium poetam potuisse ordinem rerum violare, at nonne in *memoretur* semper restat mentio mortis post quam memoria felicitatis vitae duret? nec satisfacit consilio totius carminis tale optatum quo nihil dicatur nisi ut feliciter longum vivat fautor. immo laus et gloria ad crescere debent Octavio vel ex hac materia ludibunda aequae ac

postea, cum *graviore sono tibi musa loquetur nostra*, in comparatione heroum epici carminis cum patrono blanditiae atque insinuatio poetae versabuntur. comparatio igitur et hic fit; fit *per ludum*, at fit et fit cum — culice ut cum heroe carminis ludicri. ipsa autem comparatio inest in adiectivo *sospes*, modo ne passive intellegas dictum sed active, ut Ennius locutus esse non sine veri speciei putatur (fr. 427 B.) *<quo sospite> liber*, ut Iunoni nomen datur *Sospitae*, ut Dracontius dicit (laudes dei 1, 318) de bestiis nocentibus: deus

plurima coniunxit, haec sospite mente diremit

ubi s; *cespitem* cod. Bruxellensis, quod correxi. vita igitur Octavi sospes est: patronus servat et tegit poetam ut culex pastorem: ludus est non absonus. iam puto mihi concedes etiam de sententia *et tibi certet gloria* non sufficere ea quae Leo adnotavit 'scilicet ut alii quorum facta canuntur', immo intellegas *et tibi* ut culici, de cuius gloria per iocum aequae valent illa *perpetuum lucens mansura per aevum*, nempe poeta ei hoc carmen fecit *monumentum aere perennius*. facile nunc perspicitur ad *debita* esse supplendum *memorari* et *grata* iterum monere de gratiis servatori debitis.

ergo ut summam faciam: ipse poematis scriptor non cogitabat de puero futuro Augusto terrarum domino, ludit tantum intra eos fines ad quos unusquisque poeta in laude patroni nobilis canenda progredi potuit.

nihil igitur restat nisi ut coniciamus, casu vel consilio¹ carmen in Vergili codice scriptum sub Asconi oculos venisse illumque ex coniectura facili illud Vergilio atque Vergilio XXVI annorum adscripsisse.[†] haec de Culice.

II Ciris iam dudum suum sibi quaerit Leonem, praesertim cum vel in novissima Ribbecki editione ὑποβρύχιος trahatur coniecturarum aestibus. Atque hercle hoc carmen dignius est cui tandem aliquando ulcera excidantur quam Culicis frigidae saepe iocationes. at ne bellum quidem prooemium adhuc purgatum est.

*etsi me vario iactatum laudis amore
irritaque expertum fallacis praemia vulgi
Cecropius suavis expirans hortulus auras
florentis viridi sophiae complectitur umbra,*

5 cum mens quaerit (eo dignum sibi quaerere carmen

¹ velut ego non video cur non Culex Catalepton codici addi poterit propter lepidum carmen XI, cum librarius, utrum iure an iniuria, Octavium eundem esse putaret.

*longe aliud studium!) atque alios accincta labores
 altius ad magni suspendit sidera mundi
 et placitum paucis ausa est ascendere collem:
 non tamen abstinam coeptum detexere munus*

i. hoc de Ciri carmen perficere. in v. 5 posui quod rectum puto; traditur: *tum mea quaeret eo*; coniecerat Puetz: *nec mens quaerit eo*. cum quae traduntur sensu plane destituta sint et coniecturae adhuc prolatae ad unam omnes refellantur eo quod sententiam concessivam initii destruunt, statim quae subesse arbitror explicabo. poeta nunc philosophus dum versatur in Epicuri horto, mens eius quaerit alios labores, non carmen lusura, atque hos labores accincta suspendit ad magni sidera mundi (cf. Hor. epist. 2, 1, 76 Graecia *suspendit picta voltum mentemque tabella*. Schiller, die Teilung der Erde: mein Auge hing an deinem Angesichte, an deines Himmels Harmonie mein Ohr), scilicet naturam siderum et deorum comprehendere conatur. per parenthesin repetito verbo *quaerere* artius cum antecedentibus iunctam addit se nondum valere ad *carmen* hortulo Cecropio dignum componendum Lucretiano nimirum simile. de tali carmine iam pergit v. 12

*quod si mirificum genus omne s(onare valerem
 (mirificum saeculi modo sit tibi nosse libido),
 si me iam summa Sapientia pangeret arce
 15 (quattuor antiquis heredibus est data consors)*

.....
non ego te talem venerarer munere tali,

i. quale de Ciri carmen est. v. 12 apte supplevit Birt (de halieut. 63), idem v. 13 recte ad sensum explicavit 'modo sit tibi saeculi huius libido velle mirificum, hoc est scribi velle mirabilia', nisi quod traditum *velle* nimis contorte dictum leni manu in *nosse* mutare malim. iam in v. 15 non recte mutaverunt editores *tradita est data*, mutaverunt autem quod adiectivum *consors* non suo sensu percipiebant. dicit poeta doctus per parenthesin: sapientia quattuor illis claris philosophis, Platoni Aristoteli Zenoni Epicuro, aequis partibus data est. vide Lucr. 3, 332 *consorti praedita vita* Verg. georg. 4, 153 *communis natos, consortia tecta urbis habent* Prop. 1, 21, 1 *tu qui consortem properas evadere casum* Lucan. 4, 178 *studiis consors puerilibus actas*.

v. 118 interpretes verum quasi serpentem vitavisse videntur et circuisse. legimus correctis corrigendis:

116 *sed neque tum cives neque tum rea ipse veretur
 infesto ad muros volitantis agmine turmas
 dicere et indomitas virtute retundere mentes.*

sufficiet puto semel dixisse illud *dicere* vel *ducere* codicum nil esse aliud nisi *deicere* scilicet de muris. coniecere: *reicere* Heinsius, *vincere* Sillig, *icere* Ellis, falso omnes, namque exemplis a L. Müller (de re metr. 271) collectis addenda sunt Hor. sat. 1, 6, 39 *deicere de saxo cives* et Manil. 5, 373. neque ulla causa est cur cum editionibus legamus *indomita virtute retundere Martem*; retunduntur enim mentes Cretum virtute Megarensium qui eos iterum iterumque repellunt.

v. 139 sqq. sic velim mecum legas:

*Iunonis magnae (cuius periuria divae
140 olim (in) se meminere diu) periura puella
non (nulli liceat!) violaverat inscia sedem,
dum sacris operata deae lascivit eqs.*

nihil mutavi in litteris traditis nisi quod v. 140 *in* addidi et cum correctore Helmstadiensis loco *puellae* posui *puella*. notabilis autem est usus substantivi *periuria*, quod et hic et v. 156 dicitur pro iniuria deae inlata, et adiectivi *periurus*, quod eum significat qui ius deae laedit. interpretandum ergo est: Scylla Iunonis, quam deam qui laeserant antiquis temporibus diu iniuriae suae cum damno ipsorum memores erant, nimirum quod dea eos odio suo persequebatur et ulcisebatur — Iunonis igitur sedem puella, ea ipsa re periura, violaverat non inscia praecepti 'nulli liceat'.

v. 175 Scylla, quae *castraque prospectat crebris lucentia flammis*, eadem *sedibus ex altis caeli speculatur non in orbem*, ut editores voluere, sed *amorem*; caeli amor est Minos, Iovis filius. eandem poetae doctrinam expulere critici, cum v. 531 *patriaeque* substituerent testimonio codicum *natique* in his verbis: *quoniam damnata deorum iudicio natique et coniugis ante fuisset*. Iovis est sententia quae his continetur: ille quod propter impietatem et omnium deorum et Minois fili et Iunonis coniugis (v. 139 sqq.) iudicio damnata esset Scylla, ei *infesti apposuit odium crudele parentis*.

plane destruxere editores v. 185 sq. legimus ibi apud Ribbeckium: Scylla

*horribili praeceps impellitur oestro,
ut patris, a demens, crinem de vertice sectum
furtimque arguto detonsum mitteret hosti.*

at in codicibus pro *sectum* est *serum*, quod optime dicitur de capillo senis simulque facinus filiae detestabilius reddit. hoc non intellecto editores recesserunt a meliore codicum memoria quae praebet *furtim atque arguto*, cum non viderent esse scriben-

dum *furtim atque argute detonsum*; cf. Plaut. Trin. 974 *nimis argute obrepsisti in capse occasiuncula*.

quae v. 286 sq. *graviter questu Carme deplorat anili*, statim ut legenda puto adscribo:

*o mihi nunc iterum crudelis reddite, Minos,
o iterum nostrae, Minos, inimice senectae,
semper<ne> aut olim natae te propter eundem
aut Amor insanae luctum portabit alumnae?*

290 *tene ego tam longe capta atque avecta nequivi,
tam grave servitium, tam duros passa labores,
effugere? obsistam exitium crudele meorum?
iam iam nec nobis (ea quae senioribus una
vivendi causa est) vivit genus?*

iam pergit Carme Scyllae nutrix queri de amissa ipsius filia Britomarti. v. 288 addidi *ne*, 289 pro *portavit* codicum scripsi *portabit*, 293 *uobis* HR; *ullum* codices omnes, quod correxi, 294 pro *copiam* substitui *causaē*. interpretationis subsidia adnoto haec: illud *semper* particulis *aut . . . aut* dividitur; nempe olim Britomartis propter Minois amorem matri erepta est, nunc Scylla est infortunium subitura. v. 292 *obsistam* singulariter, at bene pro antiqua vi praepositionis, iungitur cum accusativo. *meorum* i. Scyllae et Britomartis. v. 293 Carme cogitat sibi etiam Scyllam iam ereptam esse, de qua mox v. 313

*tene etiam Fortuna mihi crudelis ademit,
tene, o sola meae vivendi causa senectae?*

cf. Homer lat. 21 *ut sibi causa suae reddatur nata salutis. genus pro subole et lactata poni vix dici opus est*.

ad pretium codicum recte existimandum non inutile videtur recte interpretari v. 455. plurimi enim critici de Bruxellensi¹, qui v. 454 incipit, statim spem abiecere, cum ille quoque exhiberet *solam* pro splendida Hauptii coniectura *Scyllam*. quae tamen ut solent Hauptianae splendidior quam verior est. aperte quae voverit poeta sane optimus indicant quae antecedunt *iam tandem casus hominum, iam respice, Minos*, scilicet ut appareat neminem mortalium tam gravia pertulisse quam *solam Niseida*.

¹ quoniam talia philologis non satis innotescere solent, adnoto, ex marginali cod. Brux. 10676 f. 71^v *q>(uo)d i(n) uirg(ilio) s(ancti) euch(erii) dee(st) i(n) lib(ro) cirris hic est sequi, carminis versus 1—453 olim exstitisse in codice Vergiliano monasterii s. Eucherii prope Treviros. Cf. Traube, poet. lat. med. aevi III p. 152.*

at in Ciri emaculanda non potest sufficere nisi editio nova. quare nunc satis habeo summatim gravissima perstringere. v. 47 supple: *promissa atque diu iam tandem* (*exordia sume*; 75 sq. legendum propono: *ut cum curvatae veheretur coniugis alto, ipse trucem* eqs.; 110 *fervebat in armis*; 246 *prima deum quae* (*dulce mihi*) *te donat alumnam* cf. Stat. silv. 1, 2, 74; 275 et 277 *nec . . . nec*, item 297 sq.; 326 sq. *parcere saeva precor per numina Ilithyiae nec . . . sequaris*; 383 *cum longo quod . . . non minus . . .*, *quod pro cum quod, tum quod*; 420 *ignara* scil. te tam immitem esse; 421 *verum est: haec*. 520 *iterum* punitur Scylla cum vel post metamorphosin a patre item ave urgeatur.

III Copae carminis, quo elegantius nitidiusque omnis antiquitas vix ullum protulit nec nostri aevi poetae proferre valent, vereor ne, quamquam optimi interpretes plerasque deteraserunt maculas, ordo et compositio adhuc non satis perspecta sint. versatur haec quaestio, ut solent tales, in minimis, scilicet in recte interpretando v. 36

anne coronato vis lapide ista tegi?

quem qui explicare conati sunt, *ista* positum esse voluere pro sertis debueruntque aut statuere artificiosissimam verborum structuram, quae tamen abhorret a quaesita huius carminis simplicitate, aut coniectura auxilium quaerere. at puto hoc versu quo copa hospiti nimis diu resistenti tandem persuasit ut intraret merumque et talos posceret, grandius aliquid et venosius dicere debuit quam de sepulcro sertis coronando. cuius generis fuerit illius dictum proclive est divinari, cum puella *lasciva* saltaverit nec verita sit, de Priapo nudis verbis agere eademque v. 33 viatorem iam ad oscula decerpenda invitaverit. quid multa? copa cum versum 36 pronuntiat, nudat papillas et monstrat nimis cunctabundo *ista*, qualia nolit ille lapide tegi licet coronato (de gestu vide ex. gr. Aristaeneti epist. 1, 27). nec sine ludo posuit poeta verba ea quae legimus, nam *coronato* sane vult puella sua membra tegi et premi, at non *lapide*, sed conviva amatore. iam igitur ille hospitam iubet sibi apponere merum et talos (v. 37), futurae voluptatis velut antecenia. his ita expositis vix dubium restare potest quin poeta inde a v. 5 copam loquentem inducat. nam quod Leo obicit, puellam neque vinum *vappam* neque fistulae sonum pastoricium dicturam fuisse, non recte obici puto. bene scit copa se non agere cum divite et culto homine sed cum uno de plebe, qui vilia et communia non abhorreat, modo ne magno constant quanto autem magis δραστή-
πιον fit carmen ipsius copae verbis blandis atque inlecebrosis!

ac finem nunc tandem eam vim habere puto quam ei dare voluit scriptor: puella argumento nimis quam grandi tandem vicit viatorem, ille obsequitur, at Mors quasi ἐκ θεολογείου suum addit epilogum, aurem vellens et copae et viatoris et poetae, qui talia canat, non terrens sed comiter admonens (v. Verg. buc. 6, 3).

IV a Pseudo-Vergilianis ad Ovidiana transeo. namque Ovidi esse halieutica Plinius potius quam Birtius audiendus est. neque enim quae hic de metricis rebus diligenter sane et circumspecte conguessit sufficiunt ut evincatur non posse hos versus redire ad Ovidium, velut propter illud bisyllabum *milvi* 95 compara inter se Hor. epod. 11, 6 et 13, 2 et perpende quam rhetorice ille versus

hippuri celeres et nigro tergore milvi

structus sit. talia igitur nobis cum cura addiscenda sunt. et quod acriter Birtius in sermonem invehitur ut inpolitum et Ovidio vel sene indignum, vide ne maior pars huius culpae critico, minor, si modo ulla, poetae imputanda sit. velut cautius certe erat non prius vituperare v. 2 propter claudam iuncturam *sic namque* quam expendisse, an non aliud quid lateat in corruptis codicis verbis *vitulus sic manug. minatur.* ego quidem leni manu malim restituere

vitulus sic manca minatur,

qui nondum gerit in tenera iam cornua fronte

i. minatur quidem, at ictum plenum non efficit, quia nondum gerit in fronte quod cornu iam recte appellari possit. *mancus* adiectivum non fuisse exemptum ex eo usu quo neutra quasi adverbium iunguntur verbis, monstrat locus Prudentii, peristeph. 2, 233 *errorque mancum claudicat.* propter talium rerum minus peritos addo exempla velut Culicis 298 *secura laetantur*, Copae 3 *saltat lasciva.* in vetustiore autem codice scriptum erat *manqa,*

fortasse ut sub finem versus *manq^a*; inde ortum est illud *manug.*

nec minus in versu primo fragmenti, cuius verba idem Birtius reprehendit, videndum est num quo modo poetae subveniri possit. nego enim contra Birtium (de hal. p. 42) nos habere totum carminis initium. quod vel titulus in Vindobonensi docere potest qui est *Incipit versus Ovidi de piscibus et feris*; nam haec verba non sic scripta fuissent, nisi in exemplari vetustiore perisset verum poematis nomen. at si periit titulus, facile est conicere una cum eo periisse aliquot versus nimirum fortasse in alio folio scriptos. namque ego in primo versu cola non sic divido ut vulgo fit:

accepit mundus legem, dedit arma per omnes

quae ita sane vituperationi sunt obnoxia, immo sic:

accepit mundus: legem dedit arma per omnes
 scilicet is quisquis fuit (non *mundus*) arma, i. armorum usum, bella, dedit ut sint lex quae per omnes valeat. periit igitur ante versum qui nunc primus numeratur, pars sententiae, qua dictum erat, quid mundus accepisset, quis legem dedisset, qui fuerit illi quos nunc miramur nude vocari *omnes*. ut ponam quale fere fuisse primitus initium coniciam: post prooemium, quod tamen in carmine imperfecto fortasse omiserat Ovidius, certe postea additurus erat, agebatur de Saturno pulso, de pace olim inter omnes animantes vigente, nunc cum rege securo fugata; ille igitur pulsus est

<crudelis frenaque nati>

accepit mundus.

iam puto apparet, quomodo ea quae nunc nimis obscura leguntur olim bene clareque iuncta esse potuerint. ne tamen in versu 3 coniecturam periclitaris (ut olim ipse male conieci *admonuitque uti* scilicet armis), addo illa *admonuitque sui* non potuisse scribi nisi a poeta sermonis peritissimo; dixit enim quae posuit ea vi ut valerent idem atque: eos adegit ut sui, suarum virium memores essent; exemplum nunc non praesto est nisi (heu, quale!) Ov. am. 3, 7, 76 *inmemoremque sui*.

certum post varia et vana priorum conamina supplementum versus 15 puto hoc:

dum praeda nataret

dampro natarelto cod. Vind. .vix umquam certo restituetur v. 18 qui sic legitur in codice

Vberrer uato quem texit q: resultet

temptavi tamen totum locum sic fere resarcire:

*quin etiam si forte aliquis, dum prae<da> nataret,
 mitis luctantem scarus hunc in vimine vidit,
 aversi caudam morsu tenet atque ita <vellit,
 libera ut e nassa quae texit <praeda> resultet.*

in v. 46 emendatio quam feci

anthias in tergo quae non videt utitur armis

commendatur v. 25, ubi ut hic *his tergo* ita *hianras* pro *in auras* praebet Vindobonensis antiquus.

non neglegere debuit Birtius correctionem certam, quam fecit Sannazarius, cum iterum exemplum suum describeret, in versu 75; nempe legendum est

quid laus prima canum?

pro *qui*. fortasse hac lectione recepta non tam longe a vero aberrasset in eis quae de ordine et consilio huius carminis partis disputavit. extra enim ullam dubitationem est voluisse poetam inde a v. 49 dolis et fraudibus piscium opponere simplicitatem ceterarum bestiarum; in iis venandis non opus est nisi viribus et celeritate, cum optime hac in parte adiuvetur venator facultatibus et equorum et canum. iam pergit poeta, de sua scilicet materia verba faciendo:

noster in arte labor positus, spes omnis in illa

i. in piscando arte eget qui prospere agere vult, in hac re nil valent neque equi nec canes, spes omnis in arte, in fraudandis piscium astutiis. res est apertissima, vide tamen quot nodos in scirpo quaesiverit Birtius. hoc rerum ordine perspecto facile intellegitur v. 66

hic generosus honos et gloria maior equorum

et v. 75

quid laus prima canum

simpliciter merita equorum et canum in venando laudari: *hic* i. hoc ex venandi genere oritur et gloria equorum et laus prima canum.

habeo quae addam, sed sat sit nunc quidem paucis pro fide Plini et fama carminis non invenusti et pleni delectationis pugnasse.

Monaci.

Fr. Vollmer.